

~~XV.~~ XVI.

M. MEL. LAUBANI
P. LAVR.

812757

SATURNALIUM
MENSARUM
ANALECTA,

15

AD

Magnificæ Generositatis

VIRVM

IOACHIMVM A BERGEB

in Herrndorff & Claden,


ROMM. IMP.

à consiliis,

QVTRICIVM

Pietatis & Studiorum

munificentiss.



Lignicii typis Sartorianis.

1599.

110

M. M. B. L. A. U. D. A. N. I.
P. L. A. V. R.

S. A. T. U. R. N. A. L. I. U. M.

M. E. N. S. A. R. U. M.

A. N. A. L. E. C. T. A.

U. D.

Magnifice Genetofitatis

V. I. R. U. M.

IOACHIMVM A BERGO

in Hartloch & Gladen

R. O. M. A. I. M. P.

à confilii

U. V. T. R. I. C. I. U. M.

Primiti & seditionem

scientificam.

1729

17

Ligatus per autoritatem.

1729.



GENERE, PIETATE, DO-
ctrina, Virtute, Sapientiâ & autoritate
Magnifico nobilissimoque viro

IOACHIMO à BERGEB
in Herrnd. & Clad.

Salutem.

Peccarem meo quidem animo, Magnifice No-
bilissimæque Mæcenæ, si melius essem in
causis instituta *περὸς σὺν ἄλλοις*. Quid
à me requiras, quidque ego Tibi debeam,
nosli: quorum utrumque si pro virium mo-
dulo hæc ANALECTA, uti par est, præstabunt:
quorsum attinet pluribus ea verbis excusare? Dissidere hoc
esset favori potius & benevolentie Tuæ, quàm consulere mo-
destie meæ. Requiris à me vota & preces? En ades-
dum lege & cognosce non in supremo ore natantia verba, sed ex
imo cordis sacello piè sanctèque egressa suspiria. Gratitu-
dinem Tibi debeo? En & hæc Tibi, licet non pro digni-
tate & splendore Tuo, tamen pro facultate meâ. Quid
enim rependerent Poëtæ aliud, quàm Musæas eiusmodi epu-
las, & meritaram laudum præconia; quæ omnes tamen cor-
dati tanto minùs despiciatui habenda censuerunt: quanto ma-
gis suarum Virtutum memoriam post fatalem etiam vitæ
pauſam superesse desiderant? Nec vereor, ne publicâ
utriusque professione offendaris. Vota enim pro Tuâ sa-
lute non ex eorum sunt genere, quæ, ut Romanus inquit
Sapiens, neque sibiipsi fateri quispiam, neque
coram teste facere possit. Ingratus deinde est,
ut idem sentit, qui remotis arbitris agit gratias.
Denique quei fieri possit, Vir Generose & Magnifice, ut do-
mesticis quasi istis Virtutum tuarum Ellogiis non delecteris,
qui honores ab exteris, Viris illis quidem omni laude majon-
ribus longè latèque Tibi habitos, tam serenâ fronte aspicias.

A 2

Potius

Potius nobis indigens precavendum fuerit, ne illis in aſſi-
matione Tui conceſſiſſe Flaccianum illud profeſſi videamur:

*Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quarimus invidi.*

Atq; hæc de potiore Analectorum parte ſufficiant. Reli-
qua, ſat ſcio, ipſa pietas Tibi, ſi nihil aliud, planiſſimè con-
ciliabit.

Vale & ſalve diu multumque Mæcenæ & Patrone
verè Magnifice, præſentemque hunc annum, cum multis in-
ſequentibus feliciter & ex voti ſententiâ in pietatis & do-
ctrinæ ſubſidium exige; meâsq; Muſas æternum Tibi obno-
xias ſolito favoris adflatu animare nunquam deſine.

Ex Muſæolo noſtro ad Hebrum. Calendis novitiis anni
CIC IC IC.

M. Laubanus.

A D D E C E M B R E M.

MENSIVM Clusi, annua pompa bruma,
Sive de CHRISTI geniale cunis,
Seu tibi Fratrum à numero DECEMBRIS

Nomen inhaesit,

Nostra quei laudum seriem tuarum,
Et perennantes solida triumphos
Gloriae festo chelys erubescat

Tollere plausu

Candida auditoris ad astra caeli?
Quae meis isthoc requies Camenis
Tempore arguti queat invidere

Pectinis usum?

Tu voluptatis ratus æviternæ
Præbitor, sacri melioris auspex;
Tu quies luctus, Stygiæq; haberes

Meta pavoris.

Te patrem bruma in medio vel alga
Flora nativi celebrat teporis:

Ipsæ ne verno tibi sese adæquet

Majus honore.

Virgines castis juvenesque passim
Te canunt hymnis; tibi vir senexque
Pronus adsurgit; pius Angelorum ex-
ercitus ecce

Clangit argutis per inane pennis;

Teque vocali reducem salutat

Carminum flexu: polus insolentis

Fervet ovatu.

Iure. Nam cras annuus auspiciatum
Sol diem festis relegit quadrigis;
Quo tener quondam embryo factus, atque è
Virginis alvo

Spiritum vitalis agens medulla,
Vaguit primùm equipotens supremi
Filius IOVAE, heu malè postus inter
Bùcera sacra.

Hic dies verè mihi festus omnes
Eximit curas, generi Orthodoxo
Christum adoranti nova ubique SATVR-
NALIA portans,

Lata SATVRNALIA, servitutis
Queis ad unum omnes malè nos potius
Non modò usurario amamus uti,
Servuli ut olim,

Iure libertatis è umbrâ inani:
Sed quibus causâ mage liberali
Ipse nos manu adserit, induendo
Vile Redemptor

Mancupi schema è faciem probrosam.
Nempe quos CHRISTVS patria potuit
Cumq; libertatis, eis perenne
Convenit esse

Liberis. unguenta, puer, capaci
Ipete è conchâ, redimire postes
Floribus, plenisque adolere odores
Largus acerris.

Ipsa me Musis sacra Gratiisque
Myrtus incingat; liquor hos rosarum
Imbuat crines volo, Susinûmve aut
Succus amomi.

Alterum

Alteram dehinc STEPHANO dicabo
Martyri lucem, inde AGVILAE entheato
Ter. iam, octavamque novis c alendis

Non sine honore.

Eia nunc Daphnes properate amici
Ramulis doctas religare frontes;
Nunc coma guttis balani nitescant

Malobathrique.

MONAVI Presla radiofa lampas,
Tuque GRUNAE ingeniose, tuque
Candide o MYLI rata NISSIANAE

Laus Aganippae.

Quique Regalis Tabularii acta
Digeris BREITHORI, & idonee altam
RUDIGER celsi Ducis ore docto

Fingere prolem.

Cumque LUDVICO optima CNEMIANDRI &
Musa CEVSNERI, patriaeque flagrans
Stella VVEIDNERE indigitande quondam

Artem ob utramque

Pythii inventoris. Adeste, adeste
Quos voco cuncti: sed & invocata
SLESIDOS, si vultis, adeste turba

Cetera Vatum.

Fabimur majore sono Poeta
DIVULUM infantem, duplicemque fibris
Copulatam arctis in hypostasi hujus

Simplice formam.

ut nec heic confusio imaginanda,
Persidi vesana sit EUTCHETIS:
Nec locum scissura habeat vel ullum

NESTORIANA.

Fabimur

Fabimur mortemq̄, cruentam & orbis
Publicum plausum super impetratâ
Labis innata veniâ, polûmque
Sontibus æquum.

Namque & externa, velut auguramur,
Vocis accedet bona pars, MELISSO
Hinc Palatinos animante Olores;
Saxonas illinc

Sponte BERSMANO laciente, & alti
Buccinâ MAIORIS, jô Puella,
Orbis Instaurator, jô Puella,
Vsq̄ue sonantē.

Adsit heic mentis pietas, fidēsque,
Adsit & morum novitas supernæ
Pertinax legis, teretēsque cantûs,
Cum prece gratâ.

Luētus & sævi exitiosa luētus
Mater exesto mala Noxa, nemo
Turbidûm spiret, faveâtque curis
Nemo profanis.

II.

AD IESUM IMMANUELEM,
Die Natali.

IESUM in rigenti stramine BETHLIDOS
Vidi jacentem; plaudite amiculi,
Mopsosque adorantes, chorosque
Alipedum Geniorum ovantes.

Evax! recenti mens calefit face;
Plenôque IOVÆ pectore limpidum

Letatur:

Letatur : Euge, salve ó infans,
Salve humili adspiciende amictu.
Fas mi parentem sit Pueri Deum,
Nymphámque matrem, noctis & entheos
Cantare plausus; & misellas
In stabulo decorare cunas.
Fas & stupenda prolis originem
MAGIS relectam, cordaque regia
Perculsa non levi pavore,
Martyriumque gregis tenelli.
Tu corda pascis celite pabulo;
Tu permeatis Doctor in oppidis
Nutu coërces prapotentem
Vim Necis & genus omne morbos.
Tu quando inherens noxia Cerbero
Ergastulos nos tradidit heu truci,
Orcum edomasti immolato
Corpore & innocuo cruore.
Quanquam infimorum saltem homo creditus
Subselliorum; nec tuæ idoneus
Genti videbaris : sed idem
Sculna reos cluis & Deum inter.
Te vidit infans Atropos é cavo
Tumba regressum licia circinans
AETerna : victricemque fronti
DEXTRA PATRIS tribuit coronam.



B

AD

A D E U M D E M.

Pro mitigatione publicar. pœnarum.



Patre summo IESU LE nil minor,
 Quem lætuoso flexibilis modum
 Pones flagello; quas o iris
 Acribus injicies habenas?
 Non flamma silvas, non rabies quatit
 Rupem eminentem concita fluctuum,
 Non fulmen æquæ, non procacis
 Sic furor urget Apeliota:
 Divina ut ira; quas neque pinguior
 Placârit agnus, nec meritorum honos,
 Nec Missæ inanes, nec libellos
 Mille crepans Veniarum Agyrta.
 Spectatur eheu mandere plurimâ
 Fame coâctus non solitum incola
 Panem; & necaturas latranti
 Ventriculo apposuisse micas.
 Ira en popellum pestiferâ lue
 Necant; & altæ manibus HUNGARIS
 Stetere causse, cur perirent
 Crebrius; imprimeretque portis
 Hostile aratrum Bistonius latro.
 Compesce mentem. nos quidem iniquitas
 Lactavit ætatem per omnem
 Hactenus, in Stygiâsque noxæ
 Mersit paludes: nunc melioribus
 Mutare avemus turpia: tu modo
 Fias relegatis amicus
 Supplicis, animûmque reddas.

A D

AD IOACHIMUM à BERGE,
Virum Magnificum.

Senectus eius & stipendiorum munis
ficentia celebratur.

FORMOSIORIS Mercuriale cui
Sputum metalli largiter appluit,
Vigentèque insuper senectâ
Condere Nestorix est aristas

Longevitatis : nã mihi duplicis

Doni Deorum commoda particeps

Et utriusque luculenti,

Possidet adstipulante celo.

Majoribus sed dignior hic vehi

Laudum quadrigis : dotibus insimul

Tantis decenter qui cupiscit

utier ad decus, adque honorem

HERI erogantis, dein propriam ad sua

Salutem animula & corporis è luti

Massâ creati, proximique ad

Munificam relevationem.

Quo censu habendus MELCHISEDECVS &

Rex & Sacerdos, Thariade agmina

Iuvans benigno commeatu :

Qualis & enituisse Virtus

Existimatur BARSILEI Senis

Quondam; exsulanti rebus in asperis

Dextram hospitalem qui Davidi

Præbuit : aut monumenta quali

Calestis adfectu enthea BIBLIDOS

In pauperes, inque ipsa cadavera

Fratrum exstitisse casa iniquis

Supplicis memorant TOBITUM

Grandeviolem. Nostra sed, heu dolor,

Immane quantum tempora discrepant!

Heu quò recessimus paternæ

Degeneres male Sanctitatis?

Passim senectus non sapientiæ &

Virtutis augmen, sed diuturnitas

Infantis dementiæ audit

Omnigeni speciménque furti.

Si cui penates divitibus Tyche

Gazis replevit: protinus hunc erit,

Aut grandibus videre Bacchi

Vsque capedinibus natantem

Inter gulonum monstra: tenacis aut

More Euclionis nocte domi & die

Auro incubantem; & si, quod absit,

De proprio exierit foras quis

Fumus ligello: mox hominum fidem &

Divum increpantem: sunt & opes quibus

Fastus originem insolentis

Et varii sceleris ministrant.

Nullus Camenis heic locus aut honor:

Nec si resurgant Meonides pater

Orpheusque fraxinos tigrésque

Ducere non reses, eliquare

Tam dura cantu robora sint potes,

Triplexque ferrum corda quod occupat;

Musis ut hilum commodetur

Pauperibus citharæque Vatum.

Hi

Hi gingrientis scilicet Anseris
Raucos susurros, ô pudor! ô nefas!
Præstantiores esse Cycni
Artifici assererent canore.
AT non furentis te quoque degener
Sæcli hujus error præcipitem rapit,
Concessa abusibus nefandis
Dona patris temerare IOVÆ,
BERGERE, cali delictum & soli,
Sidusque nostræ nobile SLESIDOS:
Quippe indolem finxit metallo
De meliore tibi Promætheus.
Propè est, honoratum Nephelidos
Natalem ut Helles portitor hinc tibi
Iam septies denâ reportet
Quartâ adeoque vicissitate.
Et nunc senentes templa per utraque
Comæ cycnæo vellere candicant,
Obtutibusque cana blandis
Ora senis Pylæi amularis.
Hoc omne docto, quàm vegetum est, tuæ
Ævum senectæ, fallis in ocio;
Spectamine & raro entheatæ
Mulsæa per Sophiæ rosæta
Primos juvenæ lenæ renascier
Latiscis annos; dum tibi pertinax
Mentem occupavit sacrosanctis
In studiis amor immoriri.
Amor beatus! Namque beatius
Nil, quàm futuræ quamdam Academiæ
Imaginem in terrâ & perennis
Gymnasi spacia obtueri.

Qua prater isthac dein quoque prabitor
PLVTVS locupletum ô IOACHIME, opum
Iubente contulit IEHOVA:
Non tibi mancipio tributa,
Fastusve turpem materiam, aut gule
Esse arbitraris: magnificâ sed hac
Sanctâque liberalitate
In studia, inque inopes, & ipsam in
VERI Magistram calitis elocas;
Altisque passim, quis sit honestior
Vfus facultatum, Dynastis
Munifica pietate monstras.
Sublimium o Rex, quotquot in Ausonum
Calcantur arvis, celse cacuminum
Quem fluminum, APENNINE, possim
Indigitare simul parentem.
Dic o perennes, dic age utrumque quos
Fundit scatêbras nubiferum latus,
Exordia ampla prabituras
Iurgitor omnibus his & illis,
Qui copioso gurgitis impetu
Paullatim adacti cornua longius
Extenta non unas citato
Remigio exonerant in oras?
Hinc se Metaurus, Crustumium & rapax,
Iunctusque Isauro Sapis & Aufidus,
Rectorque ceterorum in equor
Eridanus jacet Adrianum.
Illinc Etruscos Tibris agros lavit,
Sarnusque præceps cum Rutubâ cavo,
Lyrisque, Vulturis, Silerque
Thusca adamant gremium Amphitrites.
Verum

Verum Italis haec sunt. Silesia,
BERGERE, posthac tu novus, ut reor,
Audibis APENNINUS ora,
Non sine nobilium frequenti
Musarum ovatu: tot tibi fluminum
Debentur ortus, totque salubrium
Divortia undarum refusus
Gurgitibus tua vena ab aurea
Voragine effert: quorum alia exsulum
Rigant palatum, resque inopum levant:
Rursum alia PANTECHNEAE amœnos
Salvificaque HYGIEINAE agellos
Feliciori limo hilarare amant:
Curvis alia longam ambitibus viam
Per prata, per silvas secando
Castum ad ALETHOSYNES sacellum
Scriptum a fundat quod sacrosancta, & ad
DICES Tribunal Casaria suos
Celoce vectores benigna
Devehere assidue laborant.
Non estuosus demit aquam tuis
Cancer fluentis, non tibi congelat
Bruma algefactam; nulla subter
rana vis minuit scatebras.
O aurea, o argentea fluminum
Salve propages! o tibi, MONS sacer.
Venas salubres invidiarum
Nemo venenet adulteretve
Ausu impio: Euripos tibi nemo dehinc
Nilosque tentet cludere, prodigos
Liquoris optati: perennes
Sint fluvii & fluvium scatebrae.

Dulces

Dulces scatèbra, quas nemus herbidum
Virènsque semper muscus amabili
Opacet umbrâ, & tofi acutis
Naiadum graphiis politi
Circumcoronent. O bene, cui dehinc
Licebit istis stinguere in amnibus
Sitim! unda Massico profectò
Gratior hæc erit & Falerno.

TIBI sed istis pro meritis age
Quem destinaturam Vranien locum,
BERGERE, credam Heròas inter
Calitis ætherios Palati?

Alas amictus Chrysolithis, super
Celsi eveheris nempe Croni globum;
Posthac sacris nil invidendus
Siderii ordinibus Senatûs.

Illeic sedentis mi videor tuos
Videre honores cum Senioribus
Aptè ter octonis thronum ante
Omnipotentis herilem IOVAE.
Quâ flamma septem lâmpadas evomit
Septem Angelorum; brutâq; quattuor
unita TER-SANCTU M æviternæ
Leticia modulantur hymnum.

Ast interim ævi quod superest, precor,
Horam ad supremam molliter exige:
IANI què adhuc multas (IEHOVAE
Sic libitum) numera Calendas.

AD

AD

AD EUMDEM.

VOTA & inane fero tibi carmen: pondera con-
 Auri aut argenti tu preciosa refers. (trá
 Há bene! LABANO quidni hac versura
 Perplaceat versu digna sonante cani? Poëta
 Nimirum his Rudio certavit Scipio Vati
 Legibus, ille Afri Scipio pena soli.
 Talia Mecenas pro carmine præmia Flacco,
 Augustusque suo Virgilio ipse tulit.
 Aut hoc, aut simili aureolam quondam Induperator
 Thebaida excepit Flavius auspicio.
 Hinc Aganippæum per nectar utrique perennant,
 Aquæ suo laudem Vate Patronus habet.
 Nempe Megistanum est, facere oia grata Camænis:
 Horum autem, æternæ reddere laudis opes.
 Sic olim: ast hodiè rarò laudanda geruntur:
 Hinc laudum artifici rarus habetur honos.
 Musa, Helicon, Phæbus, Charites, Sais, Hippocrène
 Hei mihi, sunt præter nomen inane nihil!
 Fullones, lanii, cerdones atque magiri,
 Plus etiam Vatum quàm enthea ferta valent.
 usque adeò a veteri jam degeneravimus auro!
 usque adeò in spissum cuncta abière lutum!
 Sed tibi mens prisca est; sibi te, IOACHIME, novenæ
 Munificum celebrant, utibilemque Deæ.
 De genere hoc quisquis tua visit ad atria, præstò
 Mille patrocini signa faventis habet.
 Rarum hodie specimen; quid tum? quo rarior, hoc plus
 Promerita virtus laudis habere solet.

Et nunc aeterna tua servant nomina Cedri,
 Sudat & in titulis creber Apollo tuis.
 Ipse ego Maonio super aethera vectus Olore
 BERGERAE laudis praeo Poeta ferar.
 Efficiamque tuum ediscat Germania nomen,
 Mireturque olim serus ametque nepos.
 BERGERUM occidui resonabunt litora Rheni;
 BERGERUM Viadrus, Vistula, Hebrusque
 Quisque vada Arctoe sulcant rate carula Balthes, (canet.
 Aut Savi latices Danubiique bibunt.
 Me quoque felicem Germania posthuma dicet,
 Si mea magmentis Musa erit apta tuis.
 Perpetua ut non sint quae pangimus; attamen ipse
 Perpetua haec quasi sint cuncta futura canam.

VII.

IN MEDULLAM PATRUM
M. ABR. SCULTEI V. CL.

VENTIS secundis & benigno sidere
 Pridem incoata, & in suos apte Tomos
 Librosque distributa singulos, jubar
 Tandem ergo, ABRAHE, publicum
 Hac debuit astate contuerier
 MEDULLA PATRUM, opus obstinatae lychnidis
 Cerebrique multi, in quo priusne ingentium
 Mirer laborum, an plurimi
 Repullulantis inde fructus, ambigam?
 Tam ponderosi quippe molem anhelitus
 Solus nec imposuisse cervici suae,
 Quamvis staturâ maximus,

ipsosque

Ipsosque præfulcire cæli idoneus
Orbes, Atlas velit; nisi Amphitryonii
Famulare robur sentiat prius Herculis.

Labor heu malignus! usus at
Non est minoris. Nempe præclarum hoc tua
Opus Minervæ, ABRAME, tot protuberat
Hinc inde gazis, ut legentibus PATRUM,

Et non legentibus PATRUM
Mare æstuosum, feneret quamplurimum
Opis: legentibus Arctica quidem in modum
Helices facem præluxerit, sed alteris
Rotundo erit compendio.

Macte esto laude pertinacis ingeni,
Macte o recentis hoc tropæo adorea
ABRAME frater. Scilicet sic nesciam
Edura palmam cedere

Nobilitat indoles, gravissimâ comas
urgente mole contumaces deprimi:
Satis antè tædii & molesta nausæ

Tibi creasse decentium
Studiosa MORUM Virgo, quæquæ SPHÆRICUM
Gubernat axem, vertere polum ingentibus

Impigra gyris visa erat: puerperæ
Sed nunc ad instar fertilis
Cruciatuum securus en majoribus
Novitiam addidisse prolem nixibus
Gregem ad priorem cerneris. Nempe ut solum,
Regnante falcifero Senæ,

Segetem colonis seminante nemine,
Neminèque arante messe dedit uberrimâ:
Non aliter hoc geniale prædium tuæ,
ABRAME, mentis insito

Pollens vigore, humectum & ultro divites
Efferre aristas, frugèque exultare amat
uberius & frequentius aliis Musicâ.

Proh quanta nostris visibus
Infert PATRUM se pompa! quanta frontium
Fulgètra lucent! infularum qui decor!
Recentioris quæve amiculi dignitas!

IGNATIUM, ni fallor, in
Primo intueri poste cum IRENES licet
Nomen gerente Episcopo; quos ordine
IUSTINUS & CLEMENTE cum suo duce

ADAMANTIUS calidissimi
Doctòr cerèbri, opinionis sed tenax
Parum Orthodoxæ subsequuti, reliquos
Successione THEOLOGOS amabili,

Qui tempora ante CONCILI
Scripsere NICAENI, in theatrum protrahunt:

AFRAE videlicet astra terna patriæ
TERTULLIANUM, CYPRIANUM, ARNO-
Orisque Vatem LACTEI. (BIUM,

Evax! sonoris quàm lubentes gestuum
Tibi ictibus plausere gratando hæc volæ!
Quæ delibutum pectus hausit gaudia,

Ad tanta cum primùm entheæ
Admitterer spectacula carimonia?

Gratamur ah gratamur usque, ceu decet,
Pollentiam hanc tibi: haut tamen soli tibi,

Sed universæ Ecclesiæ

Cui commodabit. Fallor, an BERGERUS &
Operis Dyrhæus advocati Prestites

Tuam hanc ABRAHE, diligentiam aureis
Remunerabunt dexteris?

Sic

Sic quippe larga utriusque liberalitas,
Doctrina sic utriusque, sic pietas Virum
Tibi pollicetur, quique amor tui intima
Amborum habet precordia.


Interim, ô ABRAHE, Antistitum sequentibus
Accingere sacris; nec, priusquam ad ultimos
Opus umbilicos duxeris, fac desinas.

Vitale ne tamen tua
Robur medulla isthac MEDULLA exhauriat
Semper caveto. Namque quod requie caret,
Facile obsolescit, aut perit: versa vice
MODERATA DURANT OPTUME.

VII.

AD PUERULUM IESUM.

Ex Marci 10, 14.

CHRISTE Puer tenerâ sate Virgine, da precor
Te puero in pueros vertier innocuos. (omnes
Quisquis enim deos Superum adfectarit ho-
Moribus & vita sit novitate puer. (nores:
sque adeo puerilem adamas Puer ipse paratum:
ut tua sint pueris regna parata meris.
Magna probent alii: Invenesque valete Senesque:
Me puerum in regno fac Puer alme tuo.



C 3

Idem.

I D E M Teutonicé.

Christe liebes JEsulein/
Marien zartes Söhnelein/
Gieb das wir durch dein Kindheit gerecht/
Zu reinen Kindlein werden schlecht.
Denn wer dein Königreich mit dir
Wil dort besitzen für vnd für
Muß lassen von seiner alten art/
Vnd ein newgbure hie werden zart.
Was Kindisch ist gfele dir allein/
Hochmue/ prache muß fern von dir sein/
Drumb wer niche wird ein Kindlein gleich/
Der hat kein theil an deinem Reich.
Es prang nun/ wems also gefelle/
Vnd dünck sich groß sein auff der Welt/
Mir gnuge/ das ich in Kindheit rein
Mög bey dir ewig frölich sein.



M. LAURENTI

R. LAUR

PROPHETIA

PRO CALEND. IAN.

YIALLA

OLIO

COLIC

Excerpta yranu...



A 2490

ULB Halle

3


003 485 986




sb

kom







XVI. XVI.

812757

15

M. MEL. LAUBANI
P. LAVR.
SATURNALIUM
MENSARUM
ANALECTA,

AD
Magnificæ Generositatis
VIRVM
IOACHIMVM A BERGE
in Herrndorff & Claden,
ROMM. IMP.
à consiliis,
NUTRICIVM
Pietatis & Studiorum
munificentiss.



Lignicii typis Sartorianis.
1599.

